



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput 254. Explicatur prudentia, quâ pollere debet Confessarius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)



deque debilitate fundamentorum, quibus opinio pœnitentis nititur, eam nolit abjicere. Tunc enim bonâ & inculpata fide eam non sequitur. Quia oportet eum, qui bonâ & inculpata fide aliquam sequitur opinionem, faventem libertati contra legem, taliter esse dispositum, ut paratus sit proxim ipsius abjicere, si ipsi ostendatur falsitas, vel minor probabilitas illius opinionis, contrariamque esse magis, vel saltem æquè probabilem. Cùm tunc certa, vel propè certa sit obligatio sequi tutiorem.

2785 Respondeo 3<sup>o</sup>. negando consequentiam. Quia etiam propositum non ablinendi ab aliquo, à quo pœnitens ex errore inculpato putat se non teneri abstinere, non est peccatum mortale. Non idèd tamen Confessarius, certò sciens ipsum errare, potest ipsum, in tali proposito perisitentem, absolvere; sed instruere debet, monereque de errore; quem si monitus dimittere nolit, absolvi non potest. Similiter ergo, in casu priori, debet ipsum monere de minori probabilitate opinionis ipsius, quodque probabilis peccatorum sit contra legem Dei, deceptus opinione minus probabili, si eam in praxi sequatur. De quo monitus, si Confessario acquiescere nolit, mortaliter peccat; nec proinde potest absolvi. Enimverò cùm necesse sit, vel pœnitentem in talibus circumstantiis hîc & nunc conformare se iudicio Confessarii (circa obligationem vel non obligationem relinquendi, talem vel talem occasionem evitandi, &c.) vel Confessarium se conformare iudicio pœnitentis: certum est reum iudici, subditumque Superiori potius se conformare debere, quàm iudicem reo, Superiori subdito. Hoc enim postulat æquitas, & recta ratio, debitaque rei & subditi erga iudicem & Superiorem submissio. Maximè cùm iudex nequeat sibi persuadere iustum, sententiam preferre iuxta opinionem rei, dum eam iudicat falsam; reus autem possit & debeat sibi persuadere iustum, submittere iudicium suum voluntatemque iudicio & voluntati sui Superioris & iudicis, in iis quæ manifestè prava ex seipsis non conspiciuntur, uti communis est Sanctorum doctrina.

## CAPUT CCLIV.

Explicatur prudentia, quâ pollere debet Confessarius.

2786 **P**rudentiâ & discretione (ut supra dixi) in Confessario requirit Concilium Lateranense IV. can. 21. Sacerdos (inquit) sit discretus & cautus, ut more periti Medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diversi experimentis utendo ad sanandum agrorum. Idèd S. Franciscus Salesius, in monitis ad Confessarios, ab iis exigit prudentiam Medicorum: cùm peccata sint animarum ægri tudines & vulnera.

2787 Oportet ergo Confessarium prudentem esse 1<sup>o</sup>. in opinionum defectu, maximè hoc tempore, quo tanta est opinio christi anæ vitæ relaxatarum prurigo. 2<sup>o</sup>. in salutarium consiliorum suggestionem. 3<sup>o</sup>. in convenientiarum remedium applicationem. 4<sup>o</sup>. in pœnitentiarum injunctionem. 5<sup>o</sup>. in pœnitentium examine, ut discernat, quibus absolutionem impendere, quibus negare, quibus debeat suspendere. 6<sup>o</sup>. in instructione errantium, maximè si culpabiliter errent, errorque sit ipsis causa peccati.

2788 Quod attinet ad pœnitentium examen, in eo Confessor prudens esse debet (ait S. Carolus Borromæus in Instruct. Confess.) non interrogando nisi de peccatis pœnitentium statui convenientibus.

Tom III.

Quod spectat ad carnis peccata, summam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut cùm peccati speciem, & circumstantias graviores audivit, à confertis abstinat. Summâ prudentiâ mulieres, aut adolescentes interroget, ne eos, quod ignorant, doceat: sique utatur verbis, pudorem minimè ledentibus; ne ex gestu, aut signo, de non ordinario, graviorique peccato pœnitentem confessum fuisse, aliquis suspicetur; nec verbis eum deterreat, ut in causa sit, cur aliud peccatum gravissimum prætermittat. Imò eum ad graviora, quæcumque sint, detegenda inducat. Similiter S. Franciscus Salesius: si videatis (inquit) pœnitentes pati difficultatem & verecundiam in manifestandis peccatis inhonestis, incipietis examen à levioribus, primò interrogando an libenter audierint loqui de rebus inhonestis; deinde de cogitationibus; postea de desideris; deinde de actionibus. Quæ proportionem confessionem manifestabunt, ipsi adjicietis animos ad ampliorem manifestationem, his vel similibus verbis: quam felix es, quod bene confitearis! ne dubites magna Dei gratiâ hoc à te fieri. Vide cor tuum à Spiritu sancto excitari ad hoc ut bonam facias confessionem. Macte animo, fili mi! sic confidenter peccata tua; ne timeas. Magnam proinus habebis satisfactionem, quod bene confessus fueris, nec pro illare mundi velles tam integrè non exonerasse conscientiam tuam. Magna tibi consolatio erit in hora exitus tui, de hac humilis confessione tua. Deus largam det benedictionem cordi tuo tam bene disposito ad se accusandum, &c.

Et ne, pretiosam absolutionis margaritam imprudenter dispensando, projiciat ante porcos, sacrilegiumque committat, videat diligenter Sacerdos (ait Rituale Romanum) quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces. Quia inter alias causas, quare mundus tot iniquitatibus sit repletus, hæc non videtur minima, quod Confessores tam facile absolvant, quos sua conscientia & Deus ligatos tenent. Videat proinde quorum sincera & plena sit vel non sit conversio. Nec illis conversionibus fidat, ad quas vel nulla vel ferè nulla vitæ mutatio sequitur, post receptum absolutionis beneficium, sed vel in iisdem perseverant criminibus, vel si pabbilia non perpetrent crimina, manent semper æquè repidi, & vacui affectu ad spiritualia & cœlestia, vacui etiam amore Dei in corde suo prædominante: sine quo prædominio esse nequit vera conversio; utpote quæ transitus est ab amore creature prædominate ad amorem prædominantem Dei. Cuius prædominii ubi nulla apparent signa, consequenter non apparet conversio plena & sincera.

Imò nec lacrymas pœnitentis semper credet sufficiens esse signum conversionis. Ut enim Petrus Bielensis: si senseris in te... assuetam lacrymarum, non idèd te statim arbitraris Domino reconciliatum. Nec opinetur servus se esse filium, licet quandoque pascatur panis filiorum... Vera pœnitentia non in lacrymis momentaneis, aut horaria compunctioe consistit... Est quidem gratum Deo sacrificium lacrymarum, & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quisbus? consistentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, &c.

Ut autem meliùs discernere queat, quorum vera sit & sufficiens conversio, meminerit, nonnullorum peccatorum conversionem, sive ob subtractionem gratiarum, sive ob specialia vincula concupiscentiarum, offusque intellectui ex concupiscentiis tenebras, magis difficilem esse, quàm aliorum. Ex gratiarum quippe subtractione tantò difficiliùs ceteris paribus peccatores convertuntur, quanto gravioribus & pluribus peccatis Deum offenderunt: tunc & illi, qui, post suam cum Deo



reconciliationem, post gustatum donum caeleste, post expertam in se benignitatem Dei, in pristina crimina relabantur. Quia ut S. Thomas ait in 4. dist. 21. q. 1. a. 2. q. 3. *quanto fuerunt peccata dimissa graviora, tanto fuit beneficium remissionis majus.* Et *quanto fuit beneficium remissionis majus, tanto ingratitude major in recidivo.* Tanto etiam major contemptus beneficii accepti. Et tanto major (ob utramque rationem) subtractio gratiae Dei. Ob quam difficilior fit conversio.

2792 Ob specialia verò concupiscentiarum vincula, quae certa concomitantur peccata, offensaeque intellectui ex concupiscentiis tenebras, fit, quoddam peccatis externis fordida libidinis, saltem consummatis, peccator, peccator, imò difficillimè, si in consuetudinem transferint, & in affectum cordis. Quare verò major est difficultas conversionis, tanto majus periculum defectus illius. Et ubi est majus periculum, ibi est plenius consulendum, cap. 3. de election. in 6.

Prudenter etiam animadvertat, quamnam sint signa, quibus conversionem suam poenitens manifestat, an non eadem, vel similia planè iis, quibus ante sapienter procellatus est, se ex corde proponere emendationem: cum tamen nulla profus secuta fuerit. Si enim cum iisdem, vel similibus signis redeat, nec alia specialiora, seu extraordinaria secum adferat, Confessarius probabiliter conjiciet, quod idem, manens idem, faciet idem, id est, quod impostum se non magis emendabit, quam haecenus emendaverit. Cum tunc eadem, vel similes protestationes in vanum fecerit, & similia protestationum simile sit iudicium, atque ex praeteritis (ut S. Thomas ait) oporteat nos argumentum sumere de futuris. Nam ut D. Hieronymus ait super Osee c. 8. *ex prius datis & neglectis apparet, quid has negliget.* Canonizatur caput scribam eis lib. 2. Decretal. tit. 23. de praesumpt. Atque ut D. Gregorius ait epist. 4. Registri, *ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua praesumamus.* Canonizatur ibidem cap. mandata. Tunc proinde Confessarius prudenter dubitabit de firmo emendationis proposito, sequeturque monitum Gasparis Loartii, pietate & doctrinà S. Carolo Borromeo chari, in Instrucl. Confess. si (inquit) Confessarius de poenitentis dispositione dubitaverit, scilicet an contritionem habeat sufficientem, vel firmam non amplius delinquendi propositum, in tali casu debet Confessarius illi praecipere, ut aliquantisper orationi se dedat, cum pollicitatione, se quoque pro illo oraturum; uique hoc pacto ad se revertatur. Quod si Confessarius tunc in poenitentis dispositione complacitum fuerit, absolvet eum. Sin aliter, nequaquam; sed, ut dictum est, utetur suspensione.

#### CAPUT CCLV.

*Prudentia Confessarii in monitione errantium.*

2794 IN hoc etiam prudenter se gerere debet Confessarius. Tamen enim certum sit, quoddam quantum Doctor poenitentium) ipsos instruere debeat de suo errore, quando ipsis causa est quod peccent, ut dum putant esse peccatum, quod non est; sicut & dum ex errore vel ignorantia culpabiles versantur in malo statu, v. g. matrimonii invalidi. Si enim Confessarius dissimulet, deest officio Doctoris. Et si dissimulando absolvat, absolvit indignum, utique versantem culpabiliter in malo statu.

2795 Etiam si tamen poenitens in malo ejusmodi statu versaretur bonâ fide, inculpate ignorans matrimonii sui invaliditatem, prudentiâ adhuc opus esset, ut tunc instrueretur, monereturque de errore. Nec omittenda est monitio, dum ex moni-

tione fructus speratur; & si pro nunc non videatur ad faciendum fructum satis dispositus, sed speretur in futurum melius disponendus; tantisper monitio differatur, utique ad tempus quo speratur fructum habitura.

Sed quid, si Confessarius absolute non speret fructum, sed provideat in malo illo statu, malâ fide perseveraturum, in quo bonâ fide, id est nullâ suspitione, vel dubio interturbatâ, nunc esse supponitur? Aliquorum Theologorum sententia est, Confessarium dissimulare debere, ipsamque in bona sua fide relinquere; ne postea formaliter & scienter peccet, qui prius solum materialiter & ignoranter peccabat. Et ratio ipsorum est, 1. quia praecipuum correctionis fraternae non obligat, cum nullus fructus speratur, prout docet S. Thomas post S. Augustinum relatum cap. si quis autem de poenit. dist. 7. *si scirem non tibi prodesse, non te monerem.* 2. quia monitio tunc est nociva, & laqueus seu causa scandali, id est formalis peccati. At nulli debemus laqueum insicere, cap. si quis autem de poenit. dist. 7. 3. quia Innocentius III. cap. quia circa de consanguin. & affinit. dissimulare poteris (inquit) ut remaneas in copula sic contracta: cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminerere.

Hoc etiam plerique censent locum habere ante contractum matrimonium, ita ut si Confessarius animadvertat, poenitentem, bonâ fide nunc ignorantem impedimentum, de eo admonitum, adhuc equidem contracturum, nec Confessarii monitis acquieturum, possit & debeat ipsum in suo errore, seu ignorantia relinquere.

Sed hoc posterius merito rejicitur. Si enim nullus tunc speretur fructus, hoc provent ex prava dispositione & malitia poenitentis. Ob eandem quoque rationem Thyrus Gonzales (Generalis Societatis) in fine libri de recto utu opinionum probabilium, in simili merito etiam rejicit illud prius. Quia Confessarius non habet rationabile fundamentum provideendi, seu iudicandi, nullum fore fructum admonitionis suae, nisi rationabiliter iudicet, ipsum ob humanas aliquas considerationes ita additum illi statui, materialiter malo, ut quamvis admoneatur de obligatione illum dimittendi, non sit dimissurus; imò scienter & volenter in eo contra Dei legem permansurus. Si autem rationabiliter iudicet ipsum taliter additum illi statui, iudicat ipsum non esse deesse dispositum ad absolutionem. Quia iudicat ipsum animo sic dispositum & affectum, ut paratus sit potius Deum offendere, quam statum illum dimittere. Ergo iudicat ipsum (actu, vel virtute) vel saltem habitu esse in mortali peccato: utpote non amantem Deum super omnia, nec habentem legem Dei in corde suo, nec habentem virtutalem, imò nec habitualement voluntatem subeundi potius quavis mala hujus vitae, quam committendi peccatum mortale. Ergo iudicat ipsum indispotum ad absolutionem.

Nec obstant rationes allegatae in contrarium. Non prima: quia licet is qui solum ex communi lege charitatis, & fraternae correctionis, tenetur proximum instruere, vel qui ad id aliunde tenetur, quam ex officio Confessarii, potius dissimulare debeat, quando provideat ex monitione sua securum potius scandalum, quam fructum: alia ratio est de Confessario, qui prohibetur absolutionem impendere indigno & indispotum. Quales sunt omnes, qui de veritate scandalum sumunt, nec volunt intelligere ut bene agant. Debet ergo Confessarius (in dicto casu) monere poenitentem de errore suo, & obligatione procurandi dispensationem, si obtineri possit, sequi etiam ad eam procurandam offerre. Quod si poenitens nolit, debet ipsum admonere de obligati-